

**Quaestio medica ... Utrum in febris malignis, cutis intacta vesicantibus applicitis, signum lethale? / [Simon Antoine Bringaud].**

**Contributors**

Bringaud, Simon Antoine.  
Gasnier, T. R.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

Paris : Quillau, 1752.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yu2ttb5m>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

















DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii quintâ mensis  
Januarii, anno Domini M. DCC. LII.*

M. THOMA-RENATO GASNIER,  
Doctore Medico, Præside.

*Utrum in Febris malignis, cutis intacta vesicantibus applicitis, signum lethale?*

I.



ORBUS, quo nullus truculentior, maligna febris; ex fallaci sympto-  
matum, quibus ut plurimum incedit, congerie hanc sibi vindicasse nomen  
aliis placuit, (a) illud idem alios ex illorum anomalia repetere iuvat.  
Quemadmodum nulla, ut ritè dignoscatur, medentis animum magis  
torquet & excruciat; sic nulla frequentius remediorum vim eludit:  
interim cognitum & perspectum habere illius genium Medici sapientis  
est proprium, reique summa; ut enim sua cuique ætati, temperamento, sexui peculia-  
ris competit medela, sic & potiori jure sua morbi genio; qui igitur Medicorum

(a) Sydenh.  
tom. 1. De fe-  
bre pestil an-  
norum 1665  
& 66.



gentis humanæ salutis suæque famæ propius consulere gestierit, morbum ad amissim à morbo discernere studeat impensiori curâ, *Medicum enim ad sanandum sufficere* inquit Hippocrates, (b) *si ad cognoscendum suffecerit*; sic & eleganter suo more Celsus, *morbi notitia in remedium cognitionem deducit amplissimam*. Fatendum tamen est in assignandâ morborum indole genuinâ ancipitem interdum hæere etiam in praxi verfatissimum; nec mirum; tantam enim inter se cognationem alunt morbi plures, tantaque symptomatum parilitate procedunt, ut specialem suam indolem ac differentiam à Medico vel sagacissimo vix ac ne vix quidem extricari & dignosci sinant. Duos morbos re ipsâ diversos idem prorsus indutâ larvâ genium mentiri, quid vulgatus? Nonne uterus prole expansus hydropem ascitem quandoque mentitur, ascites imprægnationem, cardialgia inflammationem ventriculi, asthma flatulentum catharrum suffocativum, syncope apoplexiam, variolæ petechias, purpura variolas, nephritis simplex nephritidem ex calculo, scorbutus & scrophulæ luem veneream & vice versâ &c. in oggerendo tamen hoc vel illo medicamento, quam turpiter deceptus mendaci specie veri Medicus allucinaretur? Longè enim alia via est ineunda in hydrope, alia in imprægnatione; alia in cardialgia, quam in ventriculi inflammatione. Ut ut sit, quæ verè maligna, melius descripta, quam definita patebit. Ineuntem declarant virium ferè totalis collapsus, arteriarum pulsus naturali vix absimilis, febrilis horror in die pluries ingruens, vultus insolitus rubor, oculorum scintillatio, oris calor & siccitas, spiritus accisus interdum & citus, altus interdum & anhelus, alvus stricta, dura, molesta, tota cutis ardens & arida; quæ quidem singula, ubi pervenerunt ad ἀκμὴν, comitantur torpor, delirium modò fugax, modò fixum, tendonum subsultus, convulsivi faciei musculorum motus, sternutatio, narium stillicidium, dyspnæa, serosum alvi profluvium, urinæ crudæ, pulsus parvus, inæqualis, renitens, explorantes digitos fugiens, lypothimiæ; quos tandem fluctus horrendo afflatu plerumque mors componere satagit; hanc certò eventuram, ubi primùm perspirationem penitus compressam, cutimque paralyti detentam noveris, tibi prælagire fas est.

## I I.

**I**NTER tot alias microcosmi excretiones insensilis illa, quæ per spiracula cutis fit, deprehenditur uberior; quemadmodum nulla, dum ritè peragitur, ad sanitatem est præstantior, sic nulla majorem corpori, ubi malè succedit, intentat perniciem. Qualiscumque sit perspiranda illa materies, in eâ uberrima latitant morborum ferè omnium germina; præ cæteris igitur, qui ægrorum curam suscipiunt, ab illâ repressâ caveant: quantos in corpore aliundè sano cieat tumultus, quantas edat strages vel compressa tantillum, ne Medicinæ quidem limina calcantem fugit; undenàm enim sæpius, nisi à cohibitâ perspiratione, repetenda est tanta morborum, tum acutorum, tum chronicorum series; nonne frequenter illius excretionis impeditæ, sufflaminatæ, repressæ fœcunda proles tussis, corysa, febres catharrales, angina, pleuritis, peripneumonia, orthopnæa, asthma, dolores colici, diarrhæa, dysenteria, hydrops, dolores πνευματώδεις, scorbutus, arthritis, renum & vesicæ calculus & alia longè plura; sic æmulantem, dum reprimatur, veneni vires, venenum ipsum eam meritò diceret; quid igitur, si penitus comprimatur, metuendum? Ipsius origo, sanguinis alveus; hinc quò blanda magis indole gaudet sanguis, eò minorem, segnioremque repressa sanitati labem inurit; at coinquinato prius, unde scaturit, fonte, collapsisque pro parte vasorum & cordis viribus, adeò truculenter hinc & indè bacchatur, ut brevi imminet mortis periculum; (ne tamen malignam febrem in perspirationis defectu sinceram haurire causam videamur innuere, hanc sibi proprium vindicant genium ultrò fatemur.) De morte certò futurâ prognosim firmat paralyti detenta cutis; sufflaminatam enim ex integro perspirationem indubitanter comprobatur, nec minùs vitalium nervorum stuporem præmonstrat arte quâvis indomitum; cum cerebello enim, cum corde & pulmonibus apprimè consentit nervorum ope cutis; ergò dum languidâ paralyti torpent nervi cutanei, saltem fatiscere pròni sunt & vitales; ac proinde mors brevi futura.



**Q**UOCUMQUE se vertat Medicus, dùm furens sævit illa febris, res alex plena, plena periculi: *præceptum enim occasio, experimentum periculosum* (a); totis igitur contendat nervis & viribus, ut naturam erigat labantem, deviamque reducat; vasa depleat opportunè; illa secunda jubeat, quæ de morbo quidpiam certò detrahant; revellat nimirum appositè & consultè derivet; moveat quæ movenda videbuntur, nec nisi cocta aggrediatur; rigidiora laxet, diluat spissiora, viscida torqueat, incidat & attenuet; tumultuosa componat, stimulet lentiora; si quid fortè alicubi firmius hæreat, totam, sed cautè, machinam concutiat; studeat sedulus, ut in toto potissimum abdomine liberrimè fluant humores; tutius enim inde, quæ vitam propius fovent, *organa* levantur; nullum ingerat medicamen, nisi ejus indolem atque vires usu jam longo expertus noverit; videat præ cæteris ne, stante solidorum erethismo, mochlica vel cathartica inconsultè propinet; ne promiscuè permixta refrigerantibus calefacientia, stimulantia temperantibus exhibeat, nisi ægotantem atque samam unà corruiere maluerit; sternat prudens mille vias, quibus materia morbum faciens foràs amandari queat; illud interim altâ mente sedeat, irritis aut parùm juvantibus generalioribus remediis, morbum non semel declinasse admotis corpori vesicantibus; quæ quidem si nullam cuti vim intulerint, hanc paralyticam, & sufflaminatam perspirationem pronuntiare promptum est.

(a) Hipp. Aph. 1.

## I V.

**I**NTER usitata magis apud nos epispastica, palmam cæteris faciliè præripiunt cantharides. Muscæ sunt crassitie mediocris, oblongæ, coloris cœrulei, viridi-que splendentis aurati, odoris putidissimi; duplex earum distinguitur species, crassiores aliæ, aliæ graciliores; illæ ex foro medico tanquam longè minùs efficaces eliminantur; hæ tantum in usum veniunt: siccæ, recentes & integræ sunt eligendæ, secus virtute spoliuntur; plurimo sale turgent acerrimo, volatili & caustico, oleo, phlegmate, & terrâ paucioribus irretito; pulveratæ & in pastam cum fermento panis redactæ, palmarium vesicans; cuti adhucdum vegetæ si admoveantur, in motum aguntur & agunt, brevique ad interiora suum protendunt imperium; primò quidem salinis quibus instruuntur aculeis, tenerrimos cuticulæ cum cute subjectâ nexus divellunt, dilaniant & solvunt; hinc serosus latex paulatim effusus colligitur, & cum epidermide vesicularum ad instar attollitur; concutitur indè nervorum universum genus, & alacris erigitur vasorum oscillatio: necnon acerrimæ & subriles cantharidum particulæ aperta vascula subeunt & permeant; hinc lege circuli in abstrusissimos abripiuntur recessus, in *morbificam* intus latitantem materiam impingunt & irruunt, ac tandem (modò tempestivè fuerint admotæ) eam ut hostilem subactam, quâ data porta, foràs protrudunt; hinc frequentior earum usus in introcessâ podagrâ, apoplexiâ, lethargo, affectibus comatosi & febribus malignis, ubi potissimum vires nimium depressæ fatiscere pronæ sunt: verum quod majori præstat energiâ remedium quodvis, eò prudentiorem in suâ dispensatione manum sibi vult; varium enim effectum, haud secus ac præstantissima remedia, pro variâ ægotantis conditione sortiuntur cantharides; certam in unâ salutem secum traducunt, dum in alterâ lethum.

Sicut in omnibus herculeis remediis, ita maximè in applicandis cantharidibus ratio temporis habenda est exquisita; in *omnibus morbis* inquit Hippocrates, (a) *præcipuè in acutis, potissimumque in quibus vehementia febris subest, tempus adhibendi medicinam maximam habere facultatem.* Quot & quanta exurgant mala applicatis vesicantibus in febribus acutis & inflammatoriis, dum vigiliæ premunt assiduæ, adsunt deliria vel imminent, corporis jactatio & præcordiorum urget anxietas, multò magis si accedunt tendinum subsultus, testis est Baglivus; (b) delirantibus, ait, cum febre acutâ, linguâ aridâ & indiciis magnæ viscerum inflammationis, si applicentur vesicantia, omnia in pejus ruunt & magnâ ex parte moriuntur convulsi; verum quàm eximiam promereantur laudem, ubi pulsus exiles micant &

(a) Hipp. lib. IV. de ratione victus in acutis.

(b) Baglivus p. 68.



débiles, vires languent & collabuntur, perpetua urget ad somnum proclivitas, quotidiana testis est experientia. Quantumvis acerrimam vim & erodentem recondant cantharides, frustra tamen illis admotis, cute paralyti detentâ, speratur aliqualis effectus; quidquid enim ipsis in corpus virtutis inest, illud totum à nervis acceptum est referendum; hinc ubi otiantur nervi, otiantur & cantharides; haud absimili de ratione mochlica in insultu apoplectico ingesta minimè stomachum movent, quando nimirum nervi hinc & inde intra illius substantiam dispersi feriantur atque silent; ut igitur præstantissimo polleant effectu cantharides, nec citius, nec serius quàm par est admovendæ.

## V.

(a) Boerh.  
Inst. Medic.

**P**ARALYTICAM esse cutim, quæ vesicantibus applicatis intacta relinquitur, jamjam subodorari non est inconsultum; quæ quidem ut inconcussa stet jam inchoata fides, argumenta in promptu est congerere. (a) *Cuticula substernuntur papillæ molles, pulposæ, medullose, nerveæ, ex nervis subcutaneis duris, exutâ exteriori membranâ emollitis orta, hinc admodum sensiles facta*: præterea cutim esse, dum viget, inhalantem & exhalantem satis apertè demonstrant hinc alvus soluta ex litu unguenti de arthanita, illinc ipsamet perspiratio; dum igitur cuti apponitur palmarium vesicans, oscula inhalantia subire nituntur, & subeunt volatiliores & acerrimæ illius particule, quarum aliæ in alveum sanguinis rectâ deferuntur; aliæ verò papillis nerveis ad latera circumpositis occurrentes illas acriter pungunt, vellicant & convellunt; quis igitur Medicorum sibi potest fingere substantiam nerveam ab omni involucro denudatam, ac proinde maximè sensilem, absque molestiâ posse, dummodo vigeat, aded acerbè concuti & stimulari, ergo cutis est paralytica, quam non movent cantharides superextensæ; perspirationem ex toto sufflaminari, si nullam cuti vim intulerint, non minùs est compertum; omnes enim omniò functiones in corpore nervis agentibus exercentur & perficiuntur; porro perspiratio illa est præstantissima cutis functio quâ sanguis per totum corporis habitum repurgatur, quæ quidem, ut ritè peragatur, ordinatum magis, ut potè cæteris præstantior, spirituum animalium per nervos affluxum supponit; ergo quoties eorum præsentia non recreatur cutis, toties penitus compressa judicanda est perspiratio ac proinde concludere pronum est.


*Ergo in febribus malignis, cutis intacta vesicantibus applicitis, signum lethale.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ambrosius Hosty, Legationis Anglicæ Medicus ordinarius.	M. Anna - Claudius Dorigny.	M. Michael - Josephus Majault
M. Joannes Mac - Mahon, Regii Nosocomii Colmariensis Medicus ordinarius,	M. Carolus-Augustinus Vander- monde.	M. Antonius Ferrein, Professor Regius, Regia Scientiarum Academia Socius, & in Horto Regio Anatomie & Chirurgia Professor.
M. Franciscus Thierry.	M. Ludovicus - Joannes-Baptista Cofnier.	M. Bartholomæus Murry.

Proponebat Parisiis SIMON-ANTONIUS BRINGAUD, Pontæfianus;  
Rothomagensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,  
A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30516419>



